

Zeitschrift: Museum Helveticum ad juvandas literas in publicos usus apertum
Herausgeber: Litteris Conradi Orellii et Soc.
Band: - (1751)
Heft: 22

Artikel: Vita & fata Io. Henrici Hottingeri [...]
Autor: Hottinger, J. Heinrich
DOI: <https://doi.org/10.5169/seals-394698>

Nutzungsbedingungen

Die ETH-Bibliothek ist die Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Zeitschriften und ist nicht verantwortlich für deren Inhalte. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern beziehungsweise den externen Rechteinhabern. [Siehe Rechtliche Hinweise.](#)

Conditions d'utilisation

L'ETH Library est le fournisseur des revues numérisées. Elle ne détient aucun droit d'auteur sur les revues et n'est pas responsable de leur contenu. En règle générale, les droits sont détenus par les éditeurs ou les détenteurs de droits externes. [Voir Informations légales.](#)

Terms of use

The ETH Library is the provider of the digitised journals. It does not own any copyrights to the journals and is not responsible for their content. The rights usually lie with the publishers or the external rights holders. [See Legal notice.](#)

Download PDF: 16.05.2025

ETH-Bibliothek Zürich, E-Periodica, <https://www.e-periodica.ch>

Σ. Θ.

Vita & Fata

JO. HENRICI HOTTINGERI,

Jo. Henrici, ex Jo. Henrico Nepotis,

*SS. Tb. Doct. & Prof. apud Heidelbergenses ex parte
Reformatorum Primarii*

*nec non Pastoris Cætus Reformati, quî Heidelbergæ
colligitur, in Templo ad Divum Petrum,*

non ita pridem ad Gaudia æterna suscepti, suisque
summo cum mœrore erepti,

ab initio & breviter per ipsum pie defunctum con-
scripta, nunc autem

per

Ejus unicum Filium superstitem

AB. AD. HOTTINGERUM,

Ecclesiæ Crucenacensis Pastorem, Classisque Inspectorem,

quoad ultimas Patris optimi horas & Scripta adhuc
inedita, aliquatenus aucta & plenius composita:

unice ad Gloriam Nominis divini, & Laudem Bo-
nitatis, quam Pater cœlestis Defuncto æque,

ac per Defunctum, una cum Familia,

Auditoribus, Rei literariæ & pu-

blicæ quoque largiter

exhibuit.

Sym-

Symbola pie Defuncti.

Διὰ δόξης καὶ ἀτιμίας, διὰ δυσφημίας καὶ εὐφημίας. 2. Cor. VI: 8.

Celebrabo Te, (in aeternum,) eo quod tremendis modis mirabilis factus (atque etiam a Te gubernatus) sum. Admiranda sunt opera Tua, ac anima mea valde novit. Ps. CXXXIX: 13.

Lector Benevole!

MOnitu & jussu Amicorum, quos ceu Patrones & Promotores studiorum meorum, jam ante plures annos in Patria Helvetia probe cognitos, ad extremum usque vitae halitum colere mihi fas est, hanc operam suscipio, quam equidem ob affectuum commotionem lubentius aliis demandatam voluissem, interim tamen ex pietate filiali eo minus detrectare volui ac potui, quoniam pro mea sententia nihil æquius ac justius est, quam ut Acta & Gesta Virorum de Ecclesia bene meritorum literis mandentur, cum in finem, ut Posteris adhuc, mirandas Dei vias in conservatione & propagatione Ecclesiae suae contemplandi atque celebrandi ansa præbeatur.

Non enim, vel non adeo, prouti *Franciscus Lambertus*, Hassiæ Reformator, recte sentiebat, laudandi sunt homines ipsi, quorum ministerio Deus usus est, quam potius dona superna, quæ in illis præcelluerunt, extollenda & ad fontem primum referenda sunt.

Scopus saltem hujus Biographiæ, quæ modo Lectori Benevolo ex voto & desiderio supra memoratorum Fautorum atque Amicorum in manus porrigitur, aliorum non tendit, quam quorundam Defunctus ipse, in totius vitæ suæ curriculo viribus omnibus annis erat, scilicet, ut esset instrumentum, altitudinem sapientiæ & profunditatem misericordiæ divinæ, ad aliorum excitationem & imitationem, celebrandi.

Atque si, secundum effatum sapientissimi inter Reges, Solomonis, memoria omnium justorum in benedictionem posita est, quanto magis in eadem ponenda erit memoria illorum, qui tot alios & doctrina & vita ad justitiam duxerunt?

Id quod modestiæ causa ratione præsentis materiæ & subjecti omnium æquorum judicio relinquo, spe certa confusus sequentem recensionem, sinceram & candidam, quoscunque a studio partium remotos, sponte sua convicturam esse.

Otium autem heic mihi fecit ipse Parens meus optimus, ὁ νῦν μακαρίτης, ceu qui, cum adhuc in vivis superstes esset, provocatus a Cl. NEUBAUERO, *Theologo Gießensi*, quoad partem vitæ suæ præcipuam, relationem seu memoriam propria exaravit manu, & ad modo dictum Virum Celeberrimum transmisit, cujus cura etiam, *Lexico ejusdem Theologorum Protestantium*, Anno 1743. per modum continuationis in lingua vernacula edito, pag. 619. rel. inserta est.

Quantum

Quantum ergo penes me est, mihi hoc unicum restat, ut ea addam, quæ hætenus forsitan omissa videntur, & quæ præprimis Patris optimi extremum diem cum beata ejus ἀναλύσει attingunt.

* * *

Ut igitur rem ipsam aggrediar, & quidem a natali solo Parentis optimi initium faciā, erat illud Tigurum, Urbs haud incelebris, quæ non solum primas tenet inter omnes Helvetiæ urbes; sed & provida & gratiosa Numinis providentia factum est, ut jam ante duo secula, & quod excurrit, puriora Reformationum Sacra, opera magnanimi & fidelis Dei Servi, HULDRICI ZWINGLI, in ea originem sumserint.

Natus est ibidem Nonis Novembribus, Anno seculi superioris, post octogesimum primo.

Patrem habuit ejusdem cognominis, JOHANNEM HENRICUM HOTTINGERUM, *Professorem Linguarum Orientalium in utroque Collegio Turicensi*. Matrem autem, Matronam ornatissimam, ELISABETHAM, natam GROBIAM, e Ditione Toggenburgica oriundam. Avus illi fuit, Johannes itidem HENRICUS HOTTINGERUS, quem non tantum ingenii doctrinæque monumenta, cedro quippe digna, sed & dignitatum ornamenta illustrarunt, prætereaque fata plane singularia cognitum atque memorandum reddiderunt. Quam vero habuit Aviam, eam nobilitavit florentissima *Huldricorum*, cui suam debuit originem, familia.

Præclaro itaque ac christiano sanguine natum non destituit deinceps piorum Parentum cura, sed, prouti illum ante omnia per fontem baptismalem Creatori ac Redemptori suo reddiderunt, ita quoque ei rite formando diligentem impenderunt operam. Quam primum tenera ejus ætas patiebatur, Scholis, ut vocant, trivialibus admotus fuit, & fundamenta jecit prorsus egregia linguæ non tantum latinæ, sed & græcæ & hebraicæ, quam postremam Parens ipse, pro peculiari suo in hanc linguam sanctam studio, filio adhuc juveni tali cum successu privatim instillavit, ut ad multorum stuporem hebraice & loquendi & precandi peritus fuerit: Ejus tamen privatæ ac domesticæ institutionis fructus mature nimis nostro ereptus est, quum puer admodum, vix decimum ætatis annum egressus Patre ac Præceptore indulgentissimo esset orbatus.

Interim tamen a Matre vidua, ipsi perpetuo charissima & ejus studiosissima in studiorum suorum progressu minime neglectus est, sed potius summo cum ardore & fervore excitatus confirmatusque, ita ut anno præteriti seculi nonagesimo quinto, postquam *Collegium Humanitatis* ingressus fuisset, octavo, dein qui sequebatur, provectus ad subsellia fuerit academica, quam promotionem ad lectiones publicas calcaris instar adhibuit, earumque frequentatione assidua in illustri Gymnasio Tigurino linguas primum eruditas, quarum elementa jam feliciter hauserat, mox deinde Philosophiæ studia accuratius excolere, ac denique Theologicis disciplinis totum se tradere cœpit.

Præ-

Præceptoribus usus est in linguis, Viris doctissimis, *Johanne Henrico Balodio, Johanne Jacobo Cramero, Johanne Rodolpho Lavatero, Johanne Baptista Ottio, Johanne Henrico Suicero, & Casparo Hoffmeistero.*

In Philosophicis vero, Doctoribus pariter egregiis, *Johanne de Muro alto, Salomone Hottingero, Rodolpho Ottio & Jacobo Lavatero.*

Sublimioris autem scientiæ, sive Theologicarum rerum notitiam Viris Celeberrimis, *Johanni Casparo Wolphio, nec non Johanni Jacobo Hottingero* debuit, acceptamque tulit.

Cursu finito, quem Patria Helvetia studiorum culturæ destinare solita est, habitisque domi Disputationibus binis, altera Philosophica, altera Theologica synodali, & examine, quod ibidem eodem tempore subiit, feliciter peracto, se ad iter literarium accinxit, comitemque sibi adjunxit lectissimum Patruelem & Amicum perquam familiarem, *Johannem Jacobum Hottingerum, V. D. M.* jam dudum ad sedes æthereas sublatum.

Omniū primo Genevam se contulit, ibique audivit Viros venerabiles & toto orbe clarissimos, *Tronchinum, Calandrinum, Pictetum & Turretinum,* quorum tres priores in Theologicis, posterior autem in Historicis proponendis tunc temporis occupati erant.

Relicta Geneva Germaniam petiit, præsertim Marburgum, Universitatis, quæ illic est Catto-
rum,

rum, Philologos & Theologos summos, *Johannem Georgium Othonem*; *Thomam Gauterium* & *Ludovicum Christianum Miegium* in institutionibus privatis & publicis sibi Duces elegit. Penes illum, qui linguas Orientales tradebat, operam dedit Chaldaicis, Syriacis, Samaritanis, Arabicis & Persicis literis. Penes hos autem & interiora sacrarum disciplinarum arcana ulterius perdidicit.

Musis deinde Marburgensibus valere jussis, Belgium versus cursum direxit, eo maxime consilio ut Rabbiniis, Mischnicis & Gemaricis diligentius operam daret studiis. Quem in finem Amstelodamum sibi elegit, ceu urbem huic scopo maxime congruam, in qua multi & perdocti commorantur Judæi, quorum Synagogis non semel & iterum, sed crebro & arrectis auribus interfuit, quoniam eorum cultum divinum ipsemet præsens inspicere & experientia cognoscere magnopere studebat.

Sed & ibidem, postquam appulisset, & studio Thalmudico se totum consecrasset, Rabbinum, Gemaricis in literis præ cæteris versatum, multo conduxit ære, cujus etiam sub ductu, totum tractatum תנ"ך cum Rabbiorum Annotationibus, in Talmude Babylonio, quod dicitur, occurrentibus, non sine sudore & labore, latine transtulit, & quæ singularis erat illius felicitas, hospitio exceptus & eruditus fuit a Celeberrimo **WILHELMO SURENHUSIO**, qui hoc ipso tempore cum in vertendo, tum in edendo Mischnico, quod adornabat opere, junctis observationibus Maimonidis & Bartenoræ non minus quam omnium

omnium Doctorum Christianorum versionibus & illustrationibus, occupatus fuerat.

Hinc vero Leidam progressus fuit, ibique sex intra septimanas suas *Exercitationes de Incestu, Creationis & Currus opere* undecim vicibus ventilandas proposuit, quinquies sub præsidio Cl. *Jacobi Triglandii*, bis autem sub *Johanne a Marck*, & totidem vicibus sub Cel. *Hermanno Witsio*, nec non *Salomone Van Till*, Viris pariter ingenii ac eruditionis laude conspicuis.

Memoratas hasce Dissertationes non longe postea, titulo *Gemarici Discursus* insignitas An. 1704. junctim prodire jussit, laborisque sui certe gravissimi & laudatissime collocati, quocum Sacrum ipsum Codicem, præprimis N. Testamenti libros dilucidare studuit, præmium insigne consecutus fuit, cum illo inscio, & nihil aliud cogitante, quam ut patriæ aliquando inserviret, hoc ejus opusculum, penes Serenissimum Principem, Carolum Primum, Landgravium Hasso-Cassellanum ea diligentia a fautoribus quibusdam commendatum fuerit, ut anno dicto in literaria Marburgensium Civitate non modo publice docendi potestas ei fieret, verum etiam extraordinaria primum, & ordinaria postmodum, hætenus inconsueta, Professio Judaicarum Antiquitatum An. 1705. conferretur, quam summo cum applausu plures per annos gerebat, & collegia præ omnibus habuit frequentissima.

Eadem autem ex causa, in tali honoris & gloriæ fastigio constitutus, multorum sibi contraxit
invi-

invidiam, qui bonam ejus famam lædere & perdere quærebant, ita ut fere in hanc propenderet sententiam, Marburgensem hanc Stationem commutandi & accipiendi Bipontinam, quæ ipsi delata & quorsum vocatus erat, ut ibi Theologiam traderet, Cœtibusque Bipontinis concreditis præesset, & a Consiliis Ecclesiæ Ducatus hujusce foret.

Absterritus tamen gravitate muneris istiusmodi triplicis Marburgi manere decrevit, eo magis, quoniam supra dictus Serenissimus Princeps, Carolus I., suasu Patronorum & Amicorum eum minime dimittere, sed potius retinere voluerat, addito eum in finem augmento Salarii, & gratiosa permissione Collegia aperiendi Theologica, imo etiam Cathedram Theologicam qua Præses in actibus disputatoriis conscendendi, donec deinceps An. 1710. in ipsa hac cathedra Professoris Ordinarii locum & partes tenere jussus fuerit, ni fallor, eodem temporis spatio, quo fasces Academicos capefferat.

Hac in dignitate persistit ad annum usque seculi, quod agimus, decimum septimum, ceu fatalem illam periodum, quæ motibus Inspiratorum ita nominatorum sub Examen vocandis destinata fuit.

Pie equidem defunctus nullum commercium, nullam saltem familiaritatem cum hujus generis hominibus iniverat, e contra innocens repertus fuit in inquisitione eorum causa instituta. Interim tamen finito fere examine illorum, qui e Membris

bris Consistorii & Ministerii inter accusatos erant, ratione quorum ita se explicare solebat: *Utinam reatus gravior, tum accusantes, tum accusatos coram Deo non confringeret!* interim, ajo, & ipse vi & obtorto quasi collo comparere jubebatur, sed bona cum conscientia & tanta Parrhesia, ut Adversariis tela jam diu tendentibus huic insistere viæ minus consultum videretur.

Hisce igitur conatibus irritis factis aliud excogitarunt consilium perniciosum, Auctoresque erant mandati pie Defuncto dati, de conscribendo & publicando judicio suo in materia illa delicata, quæ tunc temporis Criseos rigorosæ objectum erat, videlicet de extraordinariis revelationibus sub N. Testamento.

Quoniam autem insidias subodorabatur, prætereaque jam illo tempore materias de resipiscencia, fide & amore agentes multum præferebat illis, in quibus non est ædificatio, quæque natæ sunt ad excitandum lites & rixas, hinc omni studio, repetita licet, ac iterata vice injuncto mandato, nihilominus & publice & privatim ab hujus argumenti tractatione prudenter abstinuit.

Tandem autem coactus æque ac invitus, cogitata sua composuit & in lucem publicam edere incepit. Posteaquam vero quatuor tantum folia prælum reliquerant, eorum continuatio nomine Serenissimi serio ipsi interdicebatur, cui interdicto pro debita submissione obtemperabat, licet concipere non potuerit, quid suspectum aut periculosum in iisdem contentum esset. **Declaratio
etenim,**

etenim, quam instituerat, huc unice tendebat: *Non dari sub N. T. revelationes extraordinarias, quæ Canonicis adversarentur; etiam non dari ejusmodi revelationes extraordinarias, quæ veritates fundamentales, ad salutem necessarias concernerent, ceu quæ in utroque Testamento sacro jamjam sufficienter reperiundæ essent. Interim tamen possibilem esse revelationem illorum, quæ obscuriora dogmata, vel etiam futura & peculiaria fata in Ecclesia & mundo concernerent, hac tamen cum cautela: Postremas hasce revelationes accurate inquirendas, ad lapidem lydium examinandas, & prævio sollicito conscientiæ examine vel pro veris habendas vel rejiciendas esse.*

Eum in finem pie Defunctus in manuscripto suo pluribus egerat de prudentia revelationes extraordinarias secundum characteres genuinos investigandi & explorandi, colophonem vero huic operi imposuit clara & distincta reservatione, quod revelationes tunc temporis invalescentes & controversas unicuique liberrime dijudicandas relinqueret, suum autem judicium suspendat, siquidem neque de bona, neque de mala earundem origine convictus sit.

Sed quid unquam proferri poterit, quod Momus non carpat? Pie saltem defunctus hoc satis superque expertus est. Nam solida ista & circumspecta sua, in materia de revelationibus extraordinariis, sententia, animos hostiles neutiquam conciliavit, sed præ odio, quod fovebant, Theologico in summum affectuum impetum eos conjecit. Examen quidem, cui Defunctus se subjecerat in præsentia undecim Commissariorum ex Ordine

dine Ecclesiastico & Politico, prospere & feliciter finitum videbatur, ita ut fama boni exitus universam Hassiam permearet: Verum idem ille favor, qui a parte Status Politici luculentissime sperandus erat, Auctores contra hujus litis ex Ordine Ecclesiastico eo permovit, ut auctoritate sua abusi non verbis sed verberibus, non argumentis eorumque pondere, sed vi & violentia contra Defunctum pugnarent, talem scilicet formulam decretoriam cudentes, vi cujus Defunctus aut sententiam suam revocare, aut statione sua excedere teneretur.

Inter hæc duo, dura pariter & injusta, postremum elegit, existimans; Conscientiæ majorem esse habendam rationem, quam honoris & lucri terrestris, cum onere non exiguo conjuncti. Ideoque dimissionem suam petiit, & prouti obtinuit, ita etiam amplexus est animo sereno & placido, hilari & quieto. Conjecit quidem postea pluribus ex circumstantiis & quam verisimiliter, quod hostes sui non tam dimissionem suam, quam solummodo incussionem timoris & terroris animo spectaverint, sperantes propter minas & damnum ipsum tandem victas se daturum esse manus. Unus enim ex illis, qui omnium maxime ipsi restiterat, non modo Defunctum semel & iterum serio cohortatus est, imo obsecravit, ut supplex recuperationem sui Muneris penes Principem quærere vellet, offerens & promittens, se ipsum has preces supplices traditurum & exauditionem earundem effecturum esse, verum etiam literas dedit ad Defuncti amicos, ut illi auctores suasoresque

Tom. VI. U essent,

essent, de sparta & functione sua per preces supplices retinenda.

Defunctus autem surdus quasi & immobilis erat, contentus & solatio plenus, quod bona cum conscientia & honore coram Deo omnibusque veritatem amantibus munere suo oneroso exemptus sit. Lubentius saltem cum gravida uxore & tribus liberis adhuc educatione indigis, Hassia exire voluit, quam agere contra veritatem in timore Domini pensitatum, & cum singulari convictione non minus quam assistentia divina prorsus peculiari propositam. Per tredecim enim annos in flore ætatis vires suas in emolumentum studiosæ juventutis consumserat, & insuper ad auxiliandum pauperes Hassos, adjutus aliquot aliis amicis, Orphanotropheum Marburgense summa cum diligentia & cura, non parcens propriis, quæ divina Benignitas ipsi largita erat, bonis erexerat, direxeratque, licet institutum hoc laudabile diversis quoque judiciis & criminationibus expositum fuerit.

Deserebat ergo Marburgum & valedixit Hassiæ bono cum Deo læta & tranquilla mente, non curans, quod paulo ante dimissionem & discessionem suam gemina ipsi destinata vocatio per falsam Heterodoxiæ calumniam intercepta fuerit. Potius fatis ita volentibus, & statu Ecclesiarum Scholarumque Reformatarum in externis adeo corrupto consilium ceperat, vitæ, quod ipsi reliquum futurum esset, privatim transigendæ, & ad exemplum multorum, qui paria habuere fata,
in

in rure degendi, prædiumque aliquod ad sui suorumque sustentationem sibi comparandi.

Accidit autem, ut eodem fere momento, quo de firma fixaque sede sibi prospexerat, anno nempe hujus seculi decimo nono, moderatrice rerum humanarum, cœlesti Providentia, *Franckenthalensem* cœtum dirigente, Pastor primarius unanimi prope suffragio eligeretur, licet ne unicum quidem cœtus hujusce membrum de facie ipsi cognitum fuerit, quam vocationem ideo mere divinam habere, eidemque obsequium omne præstare, nullus dubitavit, cui muneri etiam ad annum, hujus seculi, vicesimum usque tertium laudatissime præfuit.

Hoc enim anno, elapsis nondum quinque annis supra dicti sui muneris in Ecclesia Franckenthalensi, nova & iterum valde mirabilis vocatio illi obtigit, cum post Celeberrimi JOHANNIS CHRISTIANI KIRCHMEJERI in Hassiam abitum & reditum ejusdem successor denominatus, adeoque in perantiqua Universitate Heidelbergensi [quam olim & Avus ejus intra spatium sex annorum, per Carolum Ludovicum Electorem Archi-Palatinum piæ memoriæ, a Laudatissimis Proceribus Cantonis Turicensis efflagitatus, condecoravit & restauravit] constitutus Theologiæ Professor ex parte Reformatorum secundarius, & præterea gregi Reformatorum ecclesiastico Petrino pascendo præfectus fuit. Aliquot deinde annis, pro statutis ejusdem Universitatis a Celeberrimo LUDOVICO CHRISTIANO MIEGIO, beatæ memoriæ, diademate doctorali exornatus, eidem-

que fatis functo in Cathedra Theologica ceu Professor primarius, & Senior Facultatis An. 1740. successit. Tredecim vicibus Decanatum Facultatis administravit, bis autem, anno nimirum 1736. & postea 1748. Rectoris Academici Dignitate potitus, cuncta quæ regimen spectabant literarium, singulari cum prudentia, tum animi æquitate moderatus est & gubernavit, dumque viveret, nullo non tempore præclara ingenii, industriæ, pietatis, probitatis, *ἀνταρπείας*, humilitatis, mansuetudinis, modestiæ, moderationis, præterea candoris, studiique pacis, & erga pauperes amoris, aliarumque virtutum immortalis memoria dignarum, documenta dedit. Mihi equidem de iis tacere præstat, quam plura dicere. Interim tamen firmiter persuasus sum, omnes illos, qui Defunctum noverant, mihi facile & lubenter consensum præbituros esse, quod dotes prorsus egregias & in privatis & in publicis suis laboribus, in dogmaticis, moralibus, exegeticis, catecheticis, ritualibus & practicis exhibuerit. Parce admodum otia sibi fecit, & concatenatis licet laboribus [siquidem etiam per plures annos Inspectionem rei eleemosynariæ & Cassam viduarum ecclesiasticam eadem, si non majori cura & fide, quam res proprias domesticas administravit] functiones suas rarissime aliis demandavit. Ferias collocabat in commercio litterario, in compositione & publicatione novorum librorum, aut etiam in lectione eorum, qui ab aliis editi erant. Pietatem spirabant non tantummodo conciones & catecheses, collegia & lectiones ab illo habitæ, sed in privatis colloquiis probitati studebat infucatae, eosque sermones cædebat, qui res arduas, Theologicas aut Eccle.

Ecclesiasticas spectabant, quamobrem Conversationes ordinarias, ad gustum hujus mundi ut plurimum institutas, quantum pote, evitabat, & visitationes ægrotorum reliquis conventibus præferebat. In adversis ut in prosperis, in tristibus ut in lætis semper erat idem, Deo suo deditus, ejusque vias demissa & grata mente venerans. Non ambiebat ultiores honores, sed eos oblatos omni modo detrectavit. Aliàs forsitan & in Palatinatu, & in Patria Helvetia, nec non alibi promotiones recentiores expectare potuisset. Nihil minus amabat, quam titulorum ambagen, & ceremoniarum, seu complementorum [quæ completa mendacia nuncupare solebat] farraginem. Modestiam ejus mirabantur & infimæ fortis homines, quibus non minus quam elatis honorem debitum tribuendum esse sentiebat. Habuerit licet, qui male ipsi cuperent, nihilominus ab omni vindictæ studio alienus erat, & his quoque ut aliis promptum inserviendi studium omni data occasione testatus est. Modice de se ipse loquebatur, & prouti verba protulit, ita quoque affectus erat in intimis cordis sui visceribus. Nam hypocriseos & fraudis omnis generis insensissimus erat hostis, respuens mendaces & falsos, laudans vero Nathanaëles, columbina simplicitate præditos. Non erat quidem Nicodemus, veritati nihilum detrahebat, erroribus & nævis non parcebat: Interim autem ejus pacis studium laudant & laudabunt Theologi pariter Lutherani, æque ac alii, qui diversa sacra sequuntur. Et quot lachrymæ a pauperibus, quibus decimam minimum partem omnium suorum reddituum, modo per pecuniam, modo per libros, vestes, panem, lignum, alia-

que hujus vitæ necessaria tam accurate destinavit & dispartitus est, quasi debitum non donum esset, post obitum ejus effusæ fuerint, id Deo maxime & post illum toti Urbi Heidelbergensi notum est.

Ut vero etiam matrimonium ejus attingam, prima vice illud contraxit An. 1705. quippe quo Summi Theologi Marburgensis, REINHOLDI PAULI, S. Theol. Doct. et Prof. Celeb. nec non Pastoris fidelissimi, laudatissimam duxit filiam natu minorem, *Adelheidam Ursulam*, oriundam e stirpe valde inclyta *Tossanorum* et *Miegiorum*, quæ et ipsa eximia in Deum ac proximum pietate, singularique animi mansuetudine et virtute omni civili et christiana, non modo muliebri et vulgari, sed virili prædita fuit atque etiam doctrina [cum hebraicam æque ac latinam linguam calleret, et in priori Psalterium quotidie legeret] magnopere excelluit. Fida hæc thori socia et conjux amantissima, [Anno hujus seculi trigésimo tertio vitæ curriculum finiens,] duos ei natos, quatuorque natas peperit, e quibus unus solum adhuc natus, nataque pariter una superstes est, nepotes autem aliquot etiam nunc in vivis agunt, duo videlicet e latere filiæ natu maximæ, jam per quinque annos demortuæ, *Salome Louysæ*, quæ nuptui data erat *Johanni Carolo Josepho*, Pastori Ecclesiæ Mannheimensis vigilantissimo, unus deinde e copula conjugali filiæ inter reliquas junioris, *Charlottæ Catharinæ Elisabethæ*, consimiliter jam ante trium annorum spatium factis functæ, non sine summa tristitia superstitis mariti, *Johannis Henrici Gesneri*, Diaconi Bülacensis

sis in Ditione Tigurina fidelissimi. Filia vero numero secunda, *Dorothea Margaretha*, conjux charissima Pastoris in cœtu Feudenheimensi, Manheimium prope adjacente, meritissimi, *Ottonis Valentin* cognominati, nullos hæredes, nullosque proin nepotes, superstes licet, in lucem edidit. Quatuor e contra nepotes, quam diu Deo visum fuerit, in vivis restant e filii residui unici, *Abelis Adami*, inito connubio, cum *Susanna Catharina Henrietta*, filia natu maxima, *Johannis Jacobi Abegg*, apud Heidelbergenses olim in Templo Petrino Evangelii Præconis munere summa cum laude defuncti.

Hæc ergo gaudia, hanc conjugalis benedictionis et felicitatis temporalis partem non minimam obtinuit, de qua Psalter canit: *Tua conjuge conjux contenta, nepotum dabit agmina patri. Avus ipse nepotes lætabere cernens.*

Secunda vero vice sibi junxit, quæ maritum modo luget amissum, *Annam Felicitatem*, Præfecti Tabulario Senatus Ecclesiastici Archi-Palatini, *Petri Jardin*, Viduam, qua cum, sine liberis quidem, summa interim concordia ac suavitate annos XV. et menses aliquot exegit.

Summopere etiam procul dubio gavisus fuisset, si prævidere potuisset, lusum providentiæ divinæ admodum mirum, quo factum est, ut filius superstes in ejus locum successerit, qui ipsi Defuncto successor in utroque munere datus est, & quem adhuc vivus, post obitum Clarissimi *Miegii* qua Collegam primitus selectum, ardentibus votis desideraverat,

Johannem, scilicet, *Jacobum Wundium*, hactenus Ecclesiæ Crucenacensis Pastorem Primarium, et Classis Inspectorem cæteris paribus dignissimum.

Transeo tandem ad Patris optimi ultimas horas, diemque ejusdem extremum, qui mensis, hujus anni, Aprilis septimus fuit.

Ex quo enim novissimo Paschatis die festo primo verba publice fecit, atque diem ad alterum se præparavit, ut eodem suas obiret partes, nocte priorem diem insecuta correptus est frigore, quod febrilis excepit æstus, quem catarrhalis maligna febris, seque jungens illi tanta virium prostratio comitata fuit, ut mox apparuerit, ipseque senserit, optatum adesse tempus ἀναλύσεως, quod jam pridem antea cogitarat assiduo, quodque crebro tam publice, quam privatim se operari, liquido satis prodiderat.

In motibus quidem febrilibus multa verba fecit de itinere terrestri ad Generum suum Feudenheimensem. Sed motibus hisce finitis clare satis se explicuit, aliud sibi meditandum esse iter ad Patrem nostrum omnium, cujus Communionem atque amplexus quam vehementissime anhelet. Valedixit hinc suis paterno affectu, eisdem etiam, benedictione breviter quidem, largiter tamen et paterne effusa, monitum dedit, de bonis, quæ linquat, terrestribus, in amore et pace distribuendis.

Ingentis porro in Deum fiduciæ et alacritatis exemplum omnibus eum invisentibus præbuit, morteque vere christiana comprobavit, se intime
de

de iis esse persuasum et convictum, quæ vel in Ecclesia, vel in Academia docuerat. Ne semel quidem conquestus est de doloribus, licet conspicuis, sed mirificam patientiam, ac animi in Dei Voluntate acquiescentis subjectionem ad postremum usque halitum exeruit.

Solitudinem sæpissime sibi expetiit, ne turbaretur in devotione sua, et propter linguam per caloris æstum debilitatam non multa proferre potuit, vel saltem prolata quoad plurimam partem non erant intelligibilia. Quæ autem intelligi poterant, abunde indicabant, cor ejus cœlitus directum esse, et cum Deo suo familiariter conversari. Perfectiones enim divinas audiebatur extollens, meritum Christi adorans, agnoscens et colens vias Numinis circa se a prima juvenia ad proVectiorem ætatem admirandas omnes, ut gratiosas, ita etiam eas, quæ attendentibus duriores et difficiles visæ erant.

Interdum filio suo præceptum dederat de legendis capitibus quibusdam e Literis Sacris, inter quæ ipsi perplacuerant primum et sextum Caput Epistolæ ad Hebræos, una cum duodecimo Capite libri Coheleth, Ecclesiastes dicti.

Hæc ideo filius repetita vice pro voluntate Patris optimi in lingua originali æque ac vernacula prælegerat, prælectione autem finita Pater optimus inter continuos licet adversæ valetudinis incursus nihilominus summo cum zelo, aviditate & industria, non sine defatigatione corporis pro-

strati, illustrationes observationesque varias cum monitis plane egregiis addiderat.

Adstantes ad lectum omnes, præsertim etiam illos, qui e cœtus membris penes eum vigilabant, amice & emphatice ad ambulandum in viis Dei excitaverat, habitis media quoque in infirmitate actibus quasi concionatoriis & catecheticis.

A Collegis suis in Ministerio Ecclesiastico visitatus & Discursu Theologico sustentatus lætitiâ capiebat prorsus singularem, illisque sanitatis suæ pristinæ restitutionem optantibus, respondebat: Se Fata sua gratiosissimo, sapientissimo, potentissimo rerum nostrarum gubernatori Jesu Christo submississime committere: Interea cum Jacobo gemere: Jehova! exspecto salutem tuam. Collegæ inprimis in utroque munere conjunctissimo, Celeberrimo CHRISTIANO BRUNINGS, postquam ille ultimo mane preces pro & cum ipso fuderat, denudato Capite in nomine Dei Triunius, Patris, Filii & Spiritus S. cœtum equidem universum, maxime autem Juvēntutem ad institutionem usui S. Cœnæ antecedaneam, quæ illo temporis spatio pie nunc defuncto ordine suscipienda fuerat, & de qua summopere sollicitus erat, ex intimo cordis affectu commendavit & non aliter quam in manus tradidit.

Cæterum per totum illum diem silentio usus est Deo suo sacro, & supra dicti diei prima post mediam noctem hora, cum somno, sed quieto, placidoque se dedisset, momentis postea adhuc aliquot spiritum ducens, sub acclamatione Uxo-
tis

ris charissimæ: *Veni, o Jesu! & recipe servum tuum,*
[quæ verba & vota etiamnum intellexit, distin-
ctoque echo: *Fiat ita,* comitatus est] tranquillus
expiravit, annosque natus sexaginta & octo,
quinque menses binosque dies vivere desiit.

Sed quid ajo? Flebilis quidem nobismet omni-
bus occidit, ac triste sui desiderium reliquit. In-
terim autem minime vivere desiit, sed potius in
longævam & sempiternam vitam transpositus est.
Æterna cum caducis commutavit, & cathedram
cœlestem occupavit, in qua non amplius excla-
mabit: *O quantum est, quod nescimus!* Vivit etiam
& vivere perget ad seram usque posteritatem in
vestigis doctrinæ & fidei eximiis, quæ reliquit in
scriptis suis numero pluribus & non minus pon-
dere.

Coronidis loco hinc adjiciam Scripta piæ Defun-
cti edita & inedita.

Edita sunt:

I. *Philologica, & quidem*

1. Undecim Dissertationes Gemaricæ Lugdunī
Batavorum habitæ An. 1704.

Memoratæ Dissertationes conjunctim editæ
loco & anno dicto apud Jordanum Luchtmanns
sub Tit. *Discursus Gemaricus de Incestu, Creationis*
& *currus opere ex Codice חגיגה Cap. II. Mischna I.*
petitus.

2. De Jure Plantæ Quarti Anni juxta Levit.
XIX: 24. Marburg. 1704.

3. De

3. De Trina Comparitione Israëlitarum coram Deo singulis annis. Ibid. 1706.
4. Duæ Disertationes de Origine Sacrificiorum contra Spencerum Anglum. Ibid. 1706.
Prostant etiam in Museo Helvetico Part. II. p. 281. & Part. III. p. 341. seq.
5. De Functionibus Laicorum circa Victimam. Ibid. 1706.
6. De Functionibus Sacerdotum circa Victimam. Ibid. 1706.
7. De Sacrificiis Avium. Ibid. 1706.
8. De duabus Avibus Leprosi mundandi. Ibid. 1706.
9. De Viris Stationariis. Ibid. 1707.
10. De quatuor Mosaici Tabernaculi Tegminibus. Ibid. 1708.
11. Duæ Disertationes de Ufu salis in cultu sacro. Ibid. 1708.
12. De fertis infermentatis. Ibid. 1708.
13. Disertationes octo de Ministerio Diei Expiationis juxta Levit. XVI. Ibid. 1708. & 1709.
14. De solenni Legis Prælectione septimo quovis Anno repetita. 1709.
15. Notæ in Th. Goodwini Mosen & Aaronem.
Ed. I. Marburgi. 1710.
Ed. II. Ibid. 1716.
Ed. III. Lugduni Batavorum. 1724.

Eædem quarta vice edendæ cum Appendice de Sacrificiis, Fertis, Libaminibus, Integritate Victimarum, quæ culpa Bibliopolæ nondum Lucem viderunt.

II. *Theologica, Lingua Latina publicata.*

16. De Theologia in Genere. Marburgi. 1711.
17. De

17. De Scriptura. Ibid. 1711.
18. De Existentia & Essentia Dei. Ibid. 1712.
19. De Decretis Dei. Ibid. 1712.
20. De Servo Dei Electo ad ductum Es. XLII:
1. Ibid. 1709.
21. Disertatio Textualis in Zach. XIV: 20. 21.
Ibid. 1711.
22. De Gloria Nominis Jehovah ad ductum
Malach. I: 11. Ibid. 1711.
23. De Diluvio Noachi. Heidelb. 1731.
24. De Victimarum Integritate ac Mysterio.
Ibid. 1731.
25. De Sacerdotum Aaronicorum Integritate ac
Mysterio. Ibid. 1735.
26. Specimen Prælectionum publicarum Analy-
tico - Philologico - Theologicum prolixius in
Gen. IX. Spiræ. 1732.
27. Specimen Prælectionum publicarum Analy-
tico - Philologico - Theologicum concisum in
Cap. VI. Exodi. Heidelb. 1732.
28. De genuinis Beatorum Characteribus ad du-
ctum Ps. CXIX: 1. 2. 3. Ibid. 1735.
29. De Viis & Gressibus primis ad veram Beati-
tudinem juxta ductum Ps. CXIX: 4. 5. Ibid.
1740.
30. De Religione, speciatim Christiana. Ibid.
1737.
31. De Scriptura S. Ibid. 1738.
32. De Dei Existentia, Essentia, Perfectionibus
& Virtutibus divinis. Ibid. 1743.
33. De Mysterio Trinitatis. Ibid. 1744.
34. De Creatione in Genere & Specie. Ibid.
1747.

35. De OEconomia Spiritus S. in applicanda salute. Francof.
36. De OEconomia Ministrorum Evangelicorum. Ibid.
37. De Spiritu S. certissimo Doctore ac Vindice Veritatum Christianarum in cunctis veris Christianis ad ductum Johannis 1. Ep. II: 27. Heidelberg. 1742.
38. De larga Spiritus S. sub N. T. effusione juxta Joh. VII: 37. 38. Heid. 1746.
39. Apologeticus pro Expositione Legis Levit. XXI: 22. contra Joh. ab Hamm, Professore Duisburgensem. Francof.
40. Typus Doctrinae Christianae, sive integrum Systema Didacticum. Francof. 1714.
41. Theologia Morum Generalis. Marb. 1715.
Eadem recusa, curis posterioribus mutata, aucta & faciliori Methodo disposita. Turici. 1748.
42. De Inspectione sui ipsius. Marb. 1716.
43. De Officiis erga Deum, Proximum & se ipsum. Spiræ. 1725.
44. Typus Studiosi Theologiae. Basileæ. 1738.
45. Typus Pastoris Evangelici. Ibid. 1741.
46. Scripturarium & Rationale Examen Ideae Nomothese Ecclesiasticae Systematis Hierarchici fundamentis innixae, contraque Hypotheses & Crisin Puffendorffii, Pfaffii, Böhmeri aliorumque modeste, ut Auctor scribit, assertae, institutum in Prælectionibus Publicis 1744. deinceps vero per quatuor Sectiones publicatum & insertum Mus. Helvet. Part. VI. IX. XI. & XII.

III. *Theologica, Lingua Germanica, publicata.*

47. *Christliche Barmherzigkeit, samt Nachricht von dem neu angelegten Wäpfen-Haus in Marburg.* 1715.
48. *Historia facti, oder kurze und wahrhafte Erzählung, was sich mit Joh. Heinr. Hottinger, gewesenen Prof. Theol. & Antiq. jud. Ordin. bey der Hessischen Universität zu Marburg Theologischem Bedenken von den außerordentlichen Offenbarungen insgemein, und von einigen heutigen so genannten Inspirierten insbesonder, welches er auf wiederholten Hochfürstlichen Befehl hat aufsetzen müssen, zugetragen.* 3. Bogen.
 Von dem Bedenken selbst sind nur 4. Bogen getrukt, und das übrige ist noch im MSC. vorhanden.
49. *Moses & Aaron pro publico Religionis Reformatæ Exercitio in Territorio Lutherano.* Büdingen. 1723.
50. *Hoffnung der Bekehrung der Juden nach Hoseæ III: 5.* Homb. 1733.
51. *Kinderspeiß, oder Catechismus sexta vice editus zu Ißstein, Schaffhausen, St. Gallen, Homburg vor der Höhe, Bern und Frankfurt.*
52. *Lazarus, oder Christlicher Unterricht von den Pflichten der Armen.* Frankfurt. 1740.
53. *Manual, oder Anleitung, wie ein Christ den ganzen Tag vor Gott wandlen solle; Ist öfters und an mehreren Orten getrukt.*
54. *Gespräch von den Pflichten der Kindern.* Ißstein. 1721.

55. *Bre*

55. Predigten über 1. Chron. ~~XXX~~^{29:}: 28. Matth. VII: 24 - 27. Luc. XIII: 4. 5. Joh. IV: 24. Coloss. II: 9. 10. 2. Cor. V: 19. 20.

56. Theologisches Bedenken, betreffend die Frage: Ob ein Wiedergeborener ganz und gar nicht mehr sündigen könne, auf Begehren aufgesetzt wider Johann Christian Edelmann.

57. Das ganze Loos eines wahren Gläubigen, Geist, Seel und Leib. Basel. 1746.

It. Responsoræ ad innominatum Auctorem Dissertationis Epistolice in 1. Thess. V: 23. de tribus Hominis cœlitus renati partibus. Vid. Mus. Helv. Part. IV. p. 553. seq.

IV. *Consilio & Cura ejus edita:*

58. Joh. Engelh. Steuberi Dissert. de Primogenitis.

59. Joh. Conr. Hottingeri Dissert. de Benedictione Sacerdotali ad ductum Num. VI: 24. 27.

60. Joh. Phil. Widderi *auserlesene Predigten. Homburg vor der Höhe.* 1736.

61. Sal. v. Till Methodus concionandi. Marb. 1711. & 1741.

Inedita tandem, & ex parte ad prelum usque elaborata, sunt sequentia:

1. Ministerium solennis Expiationum Diei juxta ductum Legum Mosaicarum, maxime Capitis XVI. in Levitico Translatorie, Analytice, Exegetice & Mystice plenius tractatum.

2. Evangelische Gewissens-Freyheit aus Heiliger Schrift, gesunder Vernunft, Betrachtung
der

der Natur des Menschen, auch Geist, und
 Obrigkeitlichen Standes dargethan.

3. Prælectiones in XV. Capita priora ex Genesi.
4. Prælectiones in XXI. Capita priora Exodi,
 nec non Exod. XXIII: 20. - f.
5. Prælectiones in Ps. CXIX. tot. Completæ
 scil. quoad Partem Exegeticam, non autem
 Porismaticam.
6. Prælectiones in tres Epistolas Johannis.
7. Prælectiones de Theologia Christiana selecta
 ad Matth. XI: 25. - 28. XV: 1. - 10. XVI:
 17. - 24. XVII: 1. - 9. XIX: 3. - 9. XXVIII:
 18. - f. Joh. XVI: 12. - 16. 1. Cor. II: 6. - 15.
 Col. II: 6. - 11. Ibid. 18. - f. 2. Petr. I: 19. - f.
8. Prælectiones in c. V. Epistolæ ad Romanos.
9. Prælectiones in Phil. III: 4. - 12.
10. Thesium Theologicarum Caput V. De De-
 cretis. Cap. VII. De OEconomia Filii Dei.
 Caput X. & ultimum de Statu Hominis tripli-
 ci, Integritatis, Lapsus & Restitutionis.
11. Vindiciæ Sacræ Veritatum Fundamentalium
 in Ecclesia Protestante, scil. Scripturam S. esse
 Normam & Judicem in Rebus Religionis Chri-
 stianæ controversis, Judicem vero humanum,
 visibilem, supremum, infallibilem, qui Au-
 ctoritate sua omnes Fidei quæstiones decidere
 valeat, & in cujus decisione alii simpliciter ac-
 quiescere debeant, non dari, oppositæ Disser-
 tationi Canonico. Juridicæ de Officio Judicis,
 & propositæ in Prælectionibus publicis An.
 1738.
12. Prælectiones [postremæ & per mortem ab-
 ruptæ] de gloria Domini nostri Jesu Christi
 Tom. VI. X juxta

juxta 2. Col. III: 18. Luc. I: 35. II: 1. & seq.

Silentio prætereo Conciones fere innumeras, quas pie Defunctus literis quidem mandavit, ob negotiorum molem autem lectu intelligibiles procurare non potuit, plures etiam mancas & mutilas relinquere debuit, illis exceptis, quas Francothaliae adhuc composuit. Idem etiam tenendum est de tot aliis meditationibus privatis, quæ alias dignæ essent, ut ab interitu liberarentur.

Vale hisce, & fave, Benevole Lector!

